



HENRICVS, huius nominis tertius, dictus Niger, post Conradum 2. Romæ imperat anno mundi 5001. à Christo nato 1039. Hic Conradi Franci filius siue gener, primùm Bohemos bello inuasit, sed ab his Hungarorum præsidio adiutis, vincitur: sequente anno adeò illos bello fatigat, vt Regem eorum tributarium fecerit. Lotaringiæ Ducem parère imperio cõpulit: apud Capuam Saracenos vicit. Cæterum pertesus eorum quæ Romæ circa Põtifices per summum scelus agerentur, Romam contendens, abdicatis adulterinis Pontificibus aliquot, Clementem secundum Pontificiæ sedi præfecit: & vt caueret in posterum Pontificum securitati, iureiurando Romanos adegit, neminem creationi eorum interfuturum sine eius permisso. Petrum Regem ab Hungaris eiectum, regno restituit: Capuam aduersus Saracenos nouo præsidio firmavit. Hëricum filium annos quinque natum, Cæsarem eligi, & Aquisgrani coronari curauit: qui sub matris Agnetis tutela aliquãdiu fuit. Imperat Henricus Niger ann. 17.

AGNES, Gulielmi Aquitaniæ principis filia, nata in Pictorum Comitatu in Gallia, vxor fuit huius Hërici tertij, quæ suscepit ex eo Henricum quartum huius nominis Imperatorem: hæc non sine laude imperio præfuit annos quinque, dum adulesceret filius: sed Coloniensis Episcopus Otho, clam abducto puero, imperio eam deturbat. Vide Chron.